

803
7

DE APPELLATIONIBVS

ASSERTIONES

Quas

Dei ter Opt. Max. auspicio.

AUTHORITATE
APPROBATIONE ATQVE
PERMISSV TOTIVS AMPLISSIMI
COLLEGII IVRIDICI IN ARCHI-
ducali Friburgensium Academia

P R E S I D E

NOBILI, CLARISSIMO, CON-
SVLTISSIMOQVE VIRO DOMINO
FRIDERICO MARTINI I. V. D. SACRI CAESA-
rei palatij Comite, nec non Sac. Cæl. Maiestatis &
reliquorum Serenissimorum Austræ Archiducum
Consiliario, &c. atque in inclita Fribur-
gensium Academia Professore
Canonum primario.

*Pro Licentia gradu in utroq. Iure obtinendo publicè
propugnabit ad diem 1. loco horisq. solitis.*

IOANNES PHILIPPVS HETTINGER Moguntinus.

F R I B U R G I B R I S C O I A .

Excudebat MARTINVS BÖCKLERVS.

Anno M. DC VIII.

Carolus Sibellius

ORNATISSIMO DO-
MINO IOANNI PHILIPPO HET-
TINGERO LEGALES HASCE POSITIONES
DEFENSIVO ARCTISSIMÆ CONSVE-
tudinis ergo applausit.

Georgius Theodoricus à VVangen in Geroltzeck ad VVasgoiam.



ORTE sub verna placidum recumbens
Fronde, quâ blandos Tresami sopores
Murmur irritat, facilis ligaram.
Lumina somno.

Ecce cum Doctos speciosus inter
Ordines Phœbus, titubante plectro
Prodit, auritæ (memini) bibeant
Carmina quercus.


Ille sic orsus; Mea Cura Diuæ,
Quotquot Ascras bibitis liquores,
Virginem querit iubeo rescindat
Pallice florem.

Flore ter trino mea sarta (Laurum)
Fronte deductam tetigit,) recingi
Impero; his par est redimire magni
Tempora ratis.

His Hetingerus dabitur, mearum
Artium princeps, meus ille quondam,
Nunc cliens magna Themidos perenni
Laude triumphat.

Ergo legalem decorate mystam,
Seruiat quicquid generatur hortis,
Quicquid Hymettus, vel amœna iactant
Pascua Nisi.

Hybla subtractos doleat virores,
Serta virtuti date; Sancta mandat
Hoc Themis, mandant Charites, et' omnis
Gratia Shada.



ASSERTIO PRIMA.

VPLEX, (A) iure maximè Canonico (B) appellatio constituitur: vna Iudicialis, altera extrajudicialis.

(A) Robert. Marant. de appell. n. 2. & 3. And. Gail. lib. I. obs. 120. Mynsing. singul. obs. cent. 4. obser. 43. (B) c. bona memoria. extr. de appell. c. I. eod. t. in 6. & multis aliis locis.

II.

Iudicialis appellatio ita dicitur quod in iudicio interponitur, (A) extrajudicialis verò, quod extra iudicium fit; à quo-
cunque grauamine, vel iam illato, vel quod metuitur in-
ferendum. (B)

(A) l. 2. ff. de appell. l. cum prælatis 32. ff. de re iudicat. (B) d. c.
bona memoria & d. c. concertatio in l. 3. ff. de excusat. tutor.

III.

Nobis extrajudicali posthabita de judiciali agere est
statutum, quā sic comodissime definiri posse putamus, vt sit ab
inferiore iudice, ad superiore sententiæ, ex iniquitate vel im-
peritia iudicantis latæ, corrigendæ causa prouocatio.

l. 1. ff. de appell. l. præfeti ff. de minoribus.

IV.

Appellare omnis potest, (A) non tantum is, qui princi-
paliter grauatus, vel condemnatus est, ipse (B) siue unus, siue
plures, (C) siue suo, (D) siue alieno nomine, (E) verum-
etiam is cuius interest, (F).

(A) l. 1. ff. h. t. l. 30. Cod. eod. c. omnis oppressus c. ideo 2. quæst.
6. c. vt.

THESES IURIDICA

6. capit. vt debitus hic. (B) capit. 16. de election. (C) tot.
titul. si unus ex plurib. l. I. in princ. & §. 2. ff. d. t. (D) l. 20.
§. 1. ff. d. t. (E) d. l. 20. §. 1 in princ. l. I. §. 13. quando. appell.
l. 2. statut. vel curat. l. 24. 27. 17. §. 1. ff. h. t. (F) l. 1. ff. de appell.
recip. l. 4. §. 2. l. 2. §. 1. ff. quando appell. fit. l. 5. & 14. ff. de
appell. Gail. pract. obs. lib. I. obs. l. 122. & 125. in fin.

V.

Sic tutores nomine pupillorum, (A) curatores no-
mine minorum, (B) negotiorum gestores, (C) procura-
tores &c. appellare possunt. (D)

(A) l. I. §. 13. quando appelletur. l. 2. si. statut. vel curat. l. 24. 27.
17. §. 1. ff. de appell. (B) l. 24. ff. d. t. (C) l. I. in princ. ff. de ap-
pell. recip. l. II. §. fin. ff. de negot. gest. l. 24. ff. de appell. (D) l.
18. ff. de appell. l. 9. Cod. eod. l. 2. Cod. de procurat.

VI.

Sic Episcopus pro Clericis, princeps pro subditis, Domi-
nus pro Vasallis, ciuitas pro subditis ciuibus, Abbas pro Mo-
nachis ratione eius quod interest, etiam absq; mandato pro-
uocare possunt.

§. seruis autem Instit. de iniuriis text. in l. item apud Labeonem.
15. §. si quis sic fecit. §. penult. §. fin. ff. eod. Gail. lib. I. obs. 125. n.
4. 5. & 7. & obser. 126. num. I.

VII.

Praeterea Patris, (A) & matris pro filio, (B) filij famili-
as pro patre, (C) domini pro seruo, (D) mariti pro vxore,
(E) prouocatio admittitur.

(A) l. 2. ff. quando appelletur (B) l. I. ff. de appell. recip.
(C) l. 23. §. 2. ff. de appell. (D) l. 15. 18. ff. c. (E) l. maritus
Cod. de procurat. & ibid. Dd. Conar. Gail. lib. I. obser. lib. I. ob-
seruat. 133. num. I.

VIII.

Appellationis beneficium adimitur ei qui parte inter-
veniente renunciauit, (A) vel in iudicio se eo non usurpum
professus

THESES IVRIDICÆ.

professus est (B) (quibus secundo adde) confessus, & conuictus, (C) tertio iudicio superatus, (D) & denique absens ob contumaciam propriam, (E) vel procuratorio nomine, (F) condemnatus est.

(A) l. 1. §. 2. ff. à quib. l. vlt. §. fin. Cod. de temporal. appell. Myns. obseru. 14. centur. I. Hartm. tit. de appell. obseruat. 17. VVurmserus tit. 24. de appell. obseru. 24. (B) l. 1. §. 3. ff. à quibus non liceat l. fin. in fin. Cad. de tempor. & reparat. appell. (C) l. 2. Cod. quorū appellat. nō recip. textus est singul. in l. nō tantum ff. de appell. & in l. 1. §. diuus. & §. si quis vltroff. de questionib. His n. denegatur appellationis remediu, eo quad non ad defensionem iniuritatis, sed ad præsidium innocentia comparatum sit l. 1. Cod. quorum appell. non recip. l. properandum Cod. de iudiciis. Adde casum in l. 3. 4. 5. 6. 8. Cod. d. t. l. vn. Cod. si de momentan. posseß. c. 18. de hæretic. in 6. l. vn. Cod. de raptu virginum (D) t. t. Cod. ne liceat in vna; quamvis exceptio trium conformiū sententiarunt in Camera non attendatur Myns. cent. I. obf. 15. & cent. 3. obf. 84. (E) l. 23. §. fin. ff. de appell. l. 4. Cod. quorum appell. nō recip. l. 1. Cod. quomodo & quando Iudicis sent. proferri. debeat. Non. 82. §. præbebant l. 53. ff. de re iudic. l. 73. §. vlt. ff. de iudic. c. cū speciali. 61. §. porro extr. h. i. Contumacem vocamus, in cuius natitiam citatio ad domum eius missa venit, nec tamen venire cum posset, voluit. Marant. de contumac: num. 8. adde l. 53. §. 2. ff. de re iudic. l. pen. Cod. quomodo & quando Iudic. sent. proferr. debeat (F) argumento l. 1. §. fin. ff. quomodo appell. sit argument. l. 10. Cod. de procur. l. 7. Cod. de transact. faciunt notata Gail. lib. I. obseru. 89. n. 3. & 45. num. 1. & 139. num. 9.

I X.

Porrò à quounque Iudice, siue ordinario, (A) siue delegato, (B) appellari potest: Excepto principe (C) nec non iudice, cum clausula APPELLATIONE REMOTA, dato, iure nouissimo (D) præfecto prætorio (E) & sacri imperij Camera (F) alijsque Principibus, quibus ex aurea bulla Caroli IV. hoc Priuilegium indultum est. (G)

THESES IVRIDICÆ.

(A) l. 32. §. 5. l. 17. 19. 29. 35. Cod. de appell. (B) l. 9. ff. qui satisd. cogant. l. 18. Cod. de iud. l. 2. in fin. Cod. de temp. appell. t. t. ff. quis & à quo appell. l. 32. Cod. de appell. (C) quia in terris eo maior non inuenitur c. anteriorum. §. illo. 2. q. 6. c. cuncta. 17. q. 3. l. 1. ff. à quib. appell. nō lic. (D) l. 1. ff. à quib. appell. l. 1. Cod. de senten. c. anteriorum 2. q. 6. argum. l. 9. ff. de ll. l. 1. in prin. Cod. ad l. Jul. maiestatis (E) l. 19. & ibi. Dd. l. 30. & 35. Cod. de appell. l. vn. Cod. de sent. præfect. prætor. l. 17. ff. de minorib. arg. l. vn. §. 1. ff. de offi. præfect. prætor. VVesemb. in paratit. ff. à quib. appellar. nō lic. (F) ordin. Cam. part. 3. tit. 51. Gail. lib. I. obf. 41. (G) ut sunt Electores imperij, & in primis Saxo, eti autem d. nullo electore appellari debeat, ex aurea bulla Carol. IV; tamen excepto Saxone & Brandenburgico à reliquis ex contraria consuetudine provocatur. Eodem Priuilegio gaudent sereniss. Archiduces Austriae, Duces Lotharingiae, & Burgundiae. Treutl. select. disputat. vol. 2. disp. 33. Thesi. 4. lit. e.

X.

His quoque merum sententiaz executorem (A) arbitrum voluntariū (B) non etiam necessarium (C) adiicimus. A Iudice reductionis rectè appellari concludimus (D)

(A) l. 4. in princ. ff. de appell. l. 12. Cod. cod. l. 5. Cod. quorum. appell. non recip. c. nouit. 43. eod. c. vlt. 2. quest. 6. c. quoad. 15. §. fin. ff. de re iud. (B) l. 1. Cod. de recep. arbitris. l. 32. §. cum quidam ff. de appellat. (C) c. ab arbitris. II. de officiis & potest. iud. deleg. in 6. l. fin. Cod. de iudicis Canisius in sua summa Iur. Canon. lib. 4. tit. 15. vers. adde ubi distin. rationem à nobis in Thesi positam tradit. l. fin. in fin. Cod. de iudic. l. 2. ff. à quib. appell. non liceat. Myns. cent. 4. obseru. 68. (D) Gail. lib. I. obser. 149. Myns. cent. 2. obf. 61. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 12. n. 3. & 51. Fachin. controuersi. Iuris lib. 8. cap. 96. Ratio est quia regulariter in omnibus casibus appell. est permissa, nisi expresse prohibita reperitur, text. in l. in maiorib. Cod. de appellat. atqui non reperitur hoc casu prohibita appellat. ergo permitta censi debet, cum exceptio firmet regulā. textus in l. nam quod liquida §. pen. ff. de penit. legata

THÈSES IVRIDICÆ.

legata: probatur id ipsum quia sententia reductionis per inde habetur ac si à indice ordinario lata esset, igitur beneficium appellatio-
nis grauato auferri nequit d. l. in maioribus.

XI.

In omni causa ac negotio regulariter appellandi facultas conceditur, (A) negotia enim maiora sint an minora, (B) ciuilia an Criminalia, (C) iudicialia an extrajudicialia, non attendimus.

(A) l. 20. Cod. de appell. Gail. lib. 1. obs. 126. num. 6. (B) d. l.
20. Huic tamen per ordin. Camera Spiræ factam Anno 1570. que
causas infra 150. fl. summam non recipit, derogatur. Gail. lib. 1.
obs. 123. Mynsing. cent. 3. obs. 89. cent. 5. obs. 83. (C) l. et in
maiorib. Cod. de appell. l. addictos Cod. de Episcop. Audient. In-
ueterata tamen Germania consuetudine receptum est, in causis cri-
minalibus capitalibus illicitas esse appellations, quam consuetu-
dinem approb. etiā Camer. Imperial. ordin. part. 2. tit. 28: §. item
nach dem auch expresse prohibens, ne recipientur causa crimi-
nales, per uia appellations in Camera. Myns. cent 4. obs. 41. Gail.
lib. 1. obs. 1. n. 27; & in tract. de pac. publ. cap. vlt. in fin.

XII.

Illud obseruandum, quod in iudicialibus iure ciuili à
sententia tamē definitiua, (A) eaq; valida, (B) non etiā inter-
locutoria, (C) nisi grauamē irreparabile cōtinente, (D) vel vim
definitiua habente (E) appelletur; quam regulam ad forum
Ecclesiasticum traduxit Concilium Tridentinū, (F) vt in eo
à veteribus Canonibus recessum videatur:

(A) l. 23. §. 1. ff. h. t. l. 21. Cod. eod. l. 16. Cod. de iudiciis l. fin.
Cod. de sent. & interloc. (B) argum. t. t. ff. quæ sententia fin. ap-
pell. rescind. t. t. Cod. quando prouocatio non est necessaria l. 23.
§. 1. l. 19. Cod. de appell. in valida siquidem, quæ scilicet est cōtra illa-
lata, vel quæ impossibilis fuit in tantū vt super nullitate notoria
pronuncietur, etiam parte non petente, nec lite contestante. Myns.
Cent 1. obs. 20. Gail. li. 1. obs. 26. n. 5. obs. 77. & obs. 127. (C) l. ante
sententia, Cod. quorum appell. non recip. l. eos §. super Cod. de ap-
pell. l. xit:

THÈSES IVRIDICÆ.

pell. l. vlt. Cod. de sent. l. liberis 7. in fin. ff. de liberal. caus. l. apertiss.
Cod. de indic. (D) vt si iudex pronūciet sententiam esse exequenda;
reum torquendum, in carceres coniūciendam, aut si reo deneget
exceptiones defensiones, probationes, dilationes &c. l. ante senten-
tiam ff. de appell. recip. & habetur in ord. Cam. 2. p. tit. 29. (E)
vt si iudex pronūciet se incompetentem, si præcipiat solutionem,
si pronūciet appellationem esse desertam, si libellum dicat nul-
lum, Gail. lib. 1. obs. 130. (F) vide Sess. 24. cap. 20. de reform.
& Sess. 13. cap. 1. de reform.

XIII.

De formalib. & requisitis Appellationis, illud impri-
mis tenendum, quod ab inferiore ad immediate superiorē
gradatim sit prouocandum, (A) sic à delegato ad delegatum,
eiusque successorem, (B) à subdelegato, ad subdelegantem,
(C) ab officiali & Vicario Episcopi, non ad Episcopum sed
Archiepiscopum, (D) rectè appellatur.

(A) l. 1. l. 21. ff. de appell. Nouell. 23. cap. 3. & 4. c. dilecti 66.
de appell. c. Romana §. 1. eodem in 6. ex hoc in Cam. imperiali ob-
seruatur Myns. cent. 1. obs. 67. cent. 2. obs. 4. Gail. lib. 1. obs. 119.
n. 2. (B) l. 1. in princ. l. fin. ff. quis & a quo appell. l. 1. §. 3. l. 21.
§. 1. ff. appell. l. 32. §. 3. Cod. (C) l. vn. in fin. Cod. qui pro sua iu-
risdiction. (D) c. Romana de appell.

XIV.

Nisi proximè superior palam, & euidenter iustitiam de-
neget; aut causam ad superiorē sponte remittat, aut pars
aduersa nihil opponat, (A) vel consuetudo aliud introducat,
(B) Ad Papam etiā & legatum eius omisso medio iudice recte
appellatur (C).

(A) Myns. Cent. 1. obs. 67. Gail. lib. 1. obs. 119. Hartm. de ap-
pellat. obser. s. quod etiā probat ordinat. Cam. in 2. p. t. 29. in princ.

(B) textus in c. Romana, §. 1. de appellat. in 6. glos. in c. dilecti
de appell. & ibi. Dd. vbi plures casus videre licet, quos "congesit:
Maranta in specul. Judicial. p. 2. tit. de appell. n. 357. cum multis:
seqq. (C) c. si duobus 7. c. solicitudinem 54. extra d. t.

THESES IURIDICAE.

XV.

Appellatio viua voce, vel in scriptis facienda est, viua voce in continenti, iudice adhuc pro tribunali sedente, per verbum etiam unicum, A P P E L L O, (A) quo modò à sententia definitiua, (B) & interlocutoria vim definitiua habente, (C) non etiam interlocutoria simplici, vel grauamine extraiudiciale (D) appellatum sufficit.

(A) l. 2. §. fin. ff. d. appellati. l. 14. Cod. eodem. (B) dd. ll. (C) Myns. cent. 1. obs. 66. 83. 15. Gail. lib. 1. obs. 130. n. 5. (D) tunc enim in scriptis appellatio interponi, & causa grauaminis instrumenti appellationis, in specie inseri debet, alias non valeret appellatio, siue in continenti, siue ex intervallo interponatur.

XVI.

In scriptis fit ex intervallo, intra decendum, (A) à tempore illati grauaminis, (B) aut certè scientiæ, (C) ita ut schedula appellationis coram notario & testibus exhibeat, & postea instrumento super appellatione confiendo inseratur (D)

(A) nouel. 23. per. auth. hodie Cod. de appellatio. c. quo ad de sententi. & re iudic. capitul. significatiu de testibus Andre Gail. libro 1. observationum obs. 139. nume. 1. (B) l. 1. §. ff. quando appellandum. Authen. hodie. capitul. 36. de testibus (C) d. l. 1. §. fin. l. 3 ff. quomodo & quando iud. Conarruuias. Practic. quæstion. cap. 1. numero 2. (D) Myns. Cent. 1. obser. 83. cent. 3. obserua. 15. in fin. & cent. 4. obser. 35.

XVII.

Vt currat alicui tempus, requiritur ut appellare volens scuerit sententiä contra le latam esse (A) ignorantis quidem tempus ilius non currit, unde appellationis tempus in initio vtile, in progressu continuum esse (B) dicitur.

(A) l. 1. in fin. ff. quando appellandum capitul. concertationi de appellationibus in 6. capitulo anterioru 2. quæst. 6. (B) facit l. 1. §. dies autem ff. quando appell.

Adeo vero

THESES IURIDICAE.

XVIII.

Adeo vero strictè hi decem dies requiruntur, vt etià à momento ad momentum fiat computatio, & sic dies quoque termini computatur in terminum.

per auth. hodie Cod. de appell. et l. fine pars Cod. de dilat.

XIX.

Schedula siue libellus appellatorius, ita concipi debet ut contineat nomen non solum eius, qui appellat, sed illius etiam, aduersus quem & à qua sententia prouocetur, (A) Et quidem causa in appellatione, à definitiua, & eius vim habente necessariò non est reddenda, (B) Quod in interlocutoria simplici, & actu extraiudiciale secus est, ibi enim grauamina non nisi in speciem expressa in appellationis prosecutione admittuntur (C)

(A) l. 1. in fine ff. dc. appellationibus. (B) Gail. lib. 1. obs. observatione 130. (C) capitul. 1. de appellationi. in 6. Clement. §. eodem Gail. d. obserua. numero 3. ratio est, quia interlocutoris appellatio ex prioribus, siue iisdem actis, iustificari debet, textus in capitul. vt debitus de appellationi. & in Clem. appellanti eodem. Regula enim & beneficium l. per hanc Cod. de tempor. appellation. Scilicet N O N P R O B A T A P R O B A B O N O N D E D U C T A D E D V C A M . non habet locum in simplici interlocutoria Gail d. lo.

XX.

Si quis pluries, puta, primo viua voce, postea in scriptis prouocauit an prima vel secunda Appellatio valeat? varijs varia sentiunt: Camera Imperialis illud Appellantis arbitrio relinquunt, quamnam prosequi velit.

Mynsing. Cent. 1. obs. 7:

X XI.

Appellatione interposita, (A) intra 30. dierum, terminum (B) à tempore appellationis interponendæ, (C) computandū

THESES I V R I D I C A.

computandum, libelli dimissoriij Apostoli dicti (D) qui sunt literæ testimoniales , à iudice , à quo appellatum, ad eum qui, de appellatione cognitus est , petendi, pro causæ & actorum instructione ; (E) eaque intra eundem terminum dandæ , (F)

- (A) l. dimissoriæ 106. ff. de verbis. signif. & l. vn. ff. de libellis dimissoriis (B) l. 24. Cod. h. t. c. ab eodem. in 6. (C) d. l. vn. in fin.
- (D) in Cam. tamen imperiali. impune omitti potest Apostolorum requisitio, ordinat. Cam. p. 2. tit. 20. Mynf. Cent. 4. obs. 36. Gail. lib. I. obs. 139. n. 15. VVurmf. de appell. tit. 24. obs. 23. per tot.
- (E) d. l. vn. l. 19. & 24. Cod. de appell. (F) d. l. 24. et hodie contra iudicem acta edere nolentem, mandata Pænalia, siue compulsoires solent decerni Gail. lib. I. obs. 134.

X XII.

Introducendæ appellationis tempus, iure communi est 30. dierum, (A) In Cam. Imper. semestri spatio, ab inter posita appellatione, inchoando determinatur, ita ut citatio quoq; intra hunc terminum sit extrahenda, & parti insinuanda, & iterum reproducenda. (B)

- (A) l. iudicib. Cod. de appell. c. ab eo de appellat. in 6. Robert. Marant. Specul. suo. part. 6. tit. ex quandoq; appellatur n. 219. ord. Cam. 2. p. tit. 30. in princ. Mynsing. cent. 3. obs. 54. cent. 5. obs. 57. Gail. lib. I. obs. 140.

X XIIII.

Prosequendæ autem appellationi annus, & ex iusta, causa bitemum, (A) a primo appellationis die computandū B) præstitutum est: Tertius vero annus iure non datur, licet nonnumquam restitutionis beneficio lapis Fatalib. impetretur, (C). In principis consistorio propter florentissimi ordinis occupationes, (D) & simili ratione in Cam. imperial. ob causarum multitudinem non curantur, sed causæ semel introductæ perpetuantur, (E)

- (A) Auth. ei qui Cod. de tempor. appell. l. fin. §. illud. Cod. de appellat. Gail. lib. I. obs. 141. in princ. (B) non de momento ad momentum d.

THESES I V R I D I C A.

mentum d. Auth. ei qui Clem. sicut. de appell. vbi glos. communiter recepta Gail. d. obs. 141. n. 1. Mynf. cent. 6. obs. 12. Hartm. Hartmanni tit. 19. de appell. obs. 2. per tot. (C) Mynsing. Cent. 1. obs. 15. nu. 9. (D) l. fin. §. si tamen Auth. sed et lis Codic. de tempor. & reparat. Appell. (E) Gail. d. lib. nu. 7. Mynf. d. obs. 12.

X XIV.

Appellationis varij sunt effectus, iudex enim appellationi regulariter (A) exceptis tamen casibus iure expressis, (B) deferre tenetur, quod si non detulerit iure ciuii 30. auri pondere mulctatur, (C) Canonico pœna arbitraria punitur. (D)

- (A) nouell. 82. c. 12. & Nouell. 126. c. 3. l. 24. Cod. h. t. (B) in l. fin. ff. de appell. recipiend. & in l. constitutionib. ff. de appell. cum similib. (C) l. 12. Cod. h. t. (D) c. 33. de appell.

X XV.

Deinde appellatione sententia quo ad præsentem statum extinguitur, (A) quoad futurum, suspenditur, & iudicium prius cum posteriori appellationis quodammodo continuatur hinc est quod sicut lite in priori iudicio pendente, nihil innouari potuit, (B) ita neq; pendente appellationis iudicio; vñq; adeo ut innouata non solum pendente appellatione, sed etiam decendij tempore, quod inter sententiam & appellatiōnem intercessit, ante omnia per iudicem appellationis (C) reuocari debeant.

- (A) L. 1. §. 3 ff. ad Turpil. & ibid. glos. in verb. venientes gloß. c. venient. de iur. iuræ. in verb. execut. (B) t. t. extra & in 6. vt lite pend. nihil innouetur. (C) c. no. solū 7. de appellat. in 6. l. vn. ff. nihil innouari appellatione interpos. l. constitutiones 16. ff. de appell. excipe casum in c. fin. extra de sequest. possēt.

X XVI.

Quæ de sententia definitiva accipi volumus, pendente siquidem Appellatione ab interlocutoria; si quæ innouata fuerint, per iudicem à quo appellatum est, reuocari non possunt priusquam appellationis causam veram esse constiterit. (A) nisi delatum fuisset appellationi à iudice, à quo appellatum est (B)

THESES IURIDICAE

est, (B) aut ipsi iudici, ne in eam procederet inhibitio facta esset, à judice appellationis, postquam iam cepit cognoscere de appellatione, tanquam ex causa probabili emissa, (C) aut articulus de quo appellatum est ita est annexus causæ principali, vt hæc sine illo decidi non posset. (D)

(A) iuxta tex. in d. c. non solum c. Romana 3. §. quod si de appell. in 6. Gail. lib. 1. obs. 130. num. 7. & obs. 144. n. 4. (B) capitul. cum appellat. §. de appell. in 6. (C) d. c. non solum & d. c. cum Romana §. cum d. c. cum §. §. duob. seqq (D) c. super eo ext. de app.

XXVII.

Appellatio quoque Causam ad superiorem deuoluit (A) & in eum statum quem habuit tempore litis contestatae reducit, (B) adeo vt noua litis contestatio, in appellatione à definitiua, de iure necessaria non videatur, (C)

(A) l. 1. §. 3. ff. de appell. cum simil. (B) argum. l. ita demum 13. Cod. de procurat. (C) argum. d. l. 13. licet in Cam. Imper. hodie ex stylo recepto requiratur, Myns. cent. 1. obs. 1. Gail. lib. 1. obs. 76.

XXVIII.

Quare & vtriq; parti copia fit in appellationis iudicio, ea probare, quæ ante probata non fuerunt, & producere, quæ ante producta non fuerunt, (A) adeoq; ea, quæ in priori iudicio reiecta fuerant, repetere, & probare, (B) dummodo Causæ principali præjudicent, aut iudicium retro nullum reddant, (C)

(A) c. cum. Ioannes 10. extra de fide. instrum. c. fraternitatis 17. extra de testib. l. eos 6. §. siquid autem Cod. de Appell. l. per hæc 4. Cod. de tempor. & reparat. Appell. (B) c. fin. de appell. in 6. iuncto c. cum à repulsione 7. eod. in Clément. (C) d. fin. vers. vbi vero l. ita demum 13. Cod. de procurat.

XXIX.

Præterea & hic Appellatio a definitiua effectus est quod causa semel cæpta ad iudicem, à quo non remittatur, (A) ab interlocutoria si sit appellatum, huius dominij tota Causa ad iudicem appellationis deuoluatur, vbi appellatio iusta

THESES IURIDICAE.

iusta pronunciatur, (B)

(A) l. eos in princ. Cod. de appell. (B) c. vt debitus 59. de appell. c. Romana §. fin. eodem in 6. videatur Gail. lib. 1. obs. 131.

XXX.

Porrò iudex appellationis sententiam non solum reformatam sed etiam confirmata in exequitur, (A) deserta vero appellatione causa ad priorem iudicem, pro executione, (B) & quidem facienda remittitur, (C)

(A) l. præcipimus 32. §. in his Cod. de appell. Auth. si quis litigantium Cod. de Episc. aud. Myns. cent. 4. obs. 94. & cent. 5. obs. 44. Gail lib. 1. obs. 113. n. 14. facit l. 6. §. 1. ff. de his qui notant. infam. (B) Gail. & Myns. d. loco. l. fin. §. illud iuncta Auth. ei qui Cod. de temp. App. (C) l. quoniam 18. C. de app. Myns. cent. 2. obs. 70.

XXXI.

Cæterum ne quis Calumnia se saluberrimo hoc appellationis beneficio abutatur, variæ in temerè appellantes de iure Civil. pœnæ sunt constitutæ nonnūquam enim 50. libris argen. mulctantur, (A) quandoq; notantur ignominia, (B) deniq; extra ordinem arbitrio puniuntur, (C) quod & in Cam. imperial receptum est, (D) iure autem Canonico lite perdita in expensas condementantur, (E)

(A) l. 5. §. fin. ff. quorum appell. non recipi. l. 5. Cod. de Episcop. aud. (B) l. 19. Cod. de appell. (C) l. eos. 6. §. ne temerè Cod. d. t. (D) Gail. d. lib. 1. obs. 152. n. 8. (E) c. reprehensibilis 26. de appell. c. 1. de elect.

CORONIDIS LOCO

Potiorum hominum partem irregularitatis, & Inabilitatis impedimento esse notatam & irretitam defendemus.

FINI S.

*Laudo Deo Virginis glorio-
sissimæ. & omnibus
sanctis.*



ORNATISSIMO DO-
CTISSIMO QVE DOMINO IO-
ANNI HETTINGERO DOCTISSIMAS
HAS CSE: DE APPELLATIONIBVS ASSE-
tiones discutienti honoris ergo applausit
Francis Bornemizza Transyluanus Vngar.
LL. Studios.

GVm faceres studij certamē Iuris in arte,
Certamen studij, nobile Thēma, tui
Oliceat verum dictante referre Thalia?
Hāc Astraea tuas laude secuta Thesēs?
En quā Brisgoicas cōmendat gloria Athenas?
Quam celebres Iuris format in arte viros?
Bartholius hic & qui si desudasset in arte,
Hoc esset iuris Lausq; Decusq; loco.
Ecce tamensimilē iuris proformat Alūnum,
Bartholeā dignum Praxiforoq; decus.
Namq; ita Iuridicis armat se in praliatelis,
Vt nisi sub magno praeside signa canat.
Quam doctē ad summum docet APP E L-
LARE Tribunal?
Quam docta laudes promouet arte suas?

Vrge

Vrge opus Hettinger : sic TĒ appellabis
ad altum

Cæsaris Imperium Cæsareum q̄e forum.



AD EVNDEM.

NUPER Astræam petiſſe mundum,
Et sacri DIVA M ſubiſſe iuris
Templa, magnorum monumenta Regum,
Fama canebat.

Hic vbi dulci ſaliens ſuſurro,
Limpidas fallit Tresamus Camænas,
Videram pulcro poſuiffe cætum
Ordine Diuam,

Hem nitor (dixi,) quis agit tenebras?
Candidum reddens oculis Olympum:
Vnde tam claro iaculatus exit

Æthere fulgor
Ecce, quā blandæ Tresami, Camænas
Irrigant vndæ facilī recursū,
Diua ſe totam Themis explicarat;

Diua corollis

Aureis ſacros redimita crines;
Ipsa tam claras iacula luces,

C Arferat

Arserat nostræ, nitido decora
 Lumine, classi,
 Cum DECVS doctistatuens laboris,
 Prouocat Pugnæ, Iuuenum Cateruam,
 Artis & pugnæ trutinans bilancem,
 Aurea præses,
 His & incepitos stimulis labores,
 Vrget ad luctam studij supremam;
 Pergite incepto Iuuenes labori,
 Ponere finem.
 Serta, quæ digni studio meretis,
 Marte defuncto referetis olim,
 (Dante Duchero studij Decano
 Præmia honoris,)
 Dixerat, iuris radiata cultu
 Fascinat sensus, oculosque luce
 Fallit, & doctas Tresam Camænas
 Voce salutans,
 Scandit excelsi solium Tonantis;
 Vnde despectans Iuuenum Coronam,
 Feruidos summâ recreat labores
 Laude triumphi,
 ERGO cum Martem Themis excitauit,
 Et Tibi mens est studij supremam
 FRATER audaci, solidoque fructu
 Edere frugem:
 Arduus Pugnæ repeatas arenam,
 Sic eris doctus superator hostis,

Cum

Cum Tuos docta FRIDERICVS arte
 Proteret hostes,
 Sic & illustrem studij CORONAM
 Clarus impones capiti per urbem,
 Quam tibi dudum THEMIS adlaborat
 Arte Deorum,

Joannes Carolus Hettinger
 Fraterni amoris ergo, &c.

EIDEM FRANC. BORNEMIZZA
 SINGULARIS BENEVOLENTIÆ ERGO
 HOC PENTASTICHON APPOSVIT.

QVÆ semel est pelagi commissa procaci-
 bus vndis,
 Acrior iratas cymba pererrat aquas.
 Et semel horrendos expertus Martis amores,
 Lætior armatos miles it ante Deos,
 Si verū est? Qua Laude prius certamen obisti,
 Hic vbi sacratum Mænus adorat Herum;
 Hac etiam lucta, similem spectabis honorem,
 Quam cum laude potes, sed sine labe sequi.
 Diuersum at STVDII est decus: vt nam gloria
 PRIMI
 MAGNA: ita PRAESENTIS gloria MAIOR
 erit.

FINIS.